



10
1926, 2
30.
21
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

FATALIBVS APPELLATIONVM,

QVAM

DIVINIS AVSPICIIS

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO
DE GVDENVS, J.V.D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEMQUE
PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

ANNVENTE AMPLISSIMO ICTORVM COLLEGIO

IN ALMA ET PERANTIQVA VNIVERSITATE
ERFORDIENSI

SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES ATQVE PRI-
VILEGIA DOCTORALIA MORE MAJORVM RITE
CAPESENDI


IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI, HORIS CONSVETIS,
PVBLICÆ DISQVVSITIONI SVBMITTIT

ELIAS CHRISTIANVS GEISLER,

SVEVOFVRTO-FRANCVS,

DIE III. MAJI ANNO M DCC XXVI.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



EXERTATIONE IN VOBIS TRIBUNA

FATA LIBVS
APPELLATIONVM

RECTORI UNIVERSITATIS
MAGISTRO THEOLOGICO

CHRISTOPHORO GIGNATIO
DE GYDENYS S. V. D.

IN LICENTIA
P. R. LICENTIA

PRO LICENTIA
P. R. LICENTIA

ILLAS CHRISTIANVS GIGNATIO

ANNO DOMINI 1611





I. N. D. N. F. C.

Quò ad omnia consilia, omnesque actus semper progredimur, *L. 2. Cod. de Off. pref. prat. &c.*

§. I.



Um de appellationum fatalibus materia secundum ANDR. GAIL. *1. obs. 139. n. 1.* trita quidem & vulgari, sed admodum utili, & in praxi frequentissima atque quotidiana, disertatiunculam instituere animus mihi sit, necessum esse puto, de

significatione vocabuli FATALIVM, pauca quædam præmittere; Cum enim juxta DD. verba sint rerum notæ & proinde nomine cognitò facile etiam ad rei ipsius cognitionem pertingere queamus, hinc non absurde fecerimus, si in nominis significationem & etymologiam vocis, FATALIVM, paulo diligentius inquisiverimus. De appellationis (in specie sic dictæ) vocabulo, alias satis noto & apud Juris Interpretes, passim obvio, ut hic agamus, operæ pretium haud est.

A 2

§. II.

§. II.

Dicta sunt itaque FATALIA à *Fato*, quod præter alia, sæpe etiam mortem significat, hinc formulæ loquendi in Jure nostro usitatissimæ: in fatum concedere, fati munus implere, in fata sua decedere, fati diem fungi & similes, quibus mortem indigitamus, *vid. L. 6. C. si reus vel accusat. mort. L. 4. C. de postlim. revers. l. 4. §. 5. C. si pendente appell. l. 1. C. de oblig. & action. l. 1. C. qui testam. fac. possunt l. 3. §. 18. §. 4. C. de jure delib. l. 6. C. de collat. l. 12. C. de Fideicommiss. l. 7. §. 2. vel ex quo autem C. de prescript. 30. vel 40. annorum cum similibus.* Eaque significatio hujus loci esse quoque videtur. Etenim per fatalia non observata, fatum, hoc est, mors appellationi contingit, seu (quod omnino idem est) terminus ac finis liti per appellationem motæ imponitur.

§. III.

Etymologiam justo nunc ordine sequitur definitio; Et sunt FATALIA appellationum certa temporum spacia Appellationibus constituta ex *RODING. P. C. Lib. 1. tit. 27. in princip.*

§. IV.

Et quamvis variè distingui soleant, mihi tamen id commodius non fieri posse, persuasum habeo, quam si alia nominentur Fundandæ, alia item Fundatæ Appellationis, ut habeamus bimembrem divisionem, quæ omnium perfectissima atque optima esse censetur.

§. V.

Fundandæ appellationis unum Fatale est, quod aliis Fatale interponendæ vocatur, & est hodiè spacium decem dierum à tempore pronunciati cogniti numerandum

dum, atque computandum. *Aurb. hodie C. de appellat. ubi DD. Novell. 23. c. 1. c. 15. X. de sentent. & re judicat. Ord. Cam. P. 2. tit. 32. §.* So sollen auch.

§. VI.

Decendium istud ideò ordinatum atque statutum est, ut intra illud quilibet vel coram iudice à quo, vel coram Notario, appellare teneatur præcise. *Cammer-Gerichts-CONCEPT, P. 2. tit. 32. §.* So sollen auch. *RODING. d. lib. 1. tit. 27. §. 3.* Secus si fiat, sententia in rem iudicatam transit, *idem RODING. d. loc.* Et jus inter partes facit *L. 2. C. quibus res iudicat. ac appellatio deserta red-ditur. GAIL. 1. obs. 139. n. 2.* Idem dicendum esse videtur, quando non a sententia, utpote actu judiciali, sed & quando ab actu extrajudiciali appellatur. *GAIL. d. lib. 1. obs. 120. n. 3. MYNSING. Cent. 3. obs. 11. vs. & uniform.* veluti si quis tutor à magistratu datus vel confirmatus, appellet à datione seu ordinatione, vel etiam confirmatione; Id enim dubio procul facere potest, cum per Magistratus decretum se gravatum esse existimet. *Arg. L. scire 13. p. l. 16. ff. de excusat. l. 1. §. 1. ff. quando appell. l. 17. §. 1. ff. de appellat. & relation. L. 20. ff. de administ. Tutor. L. 2. ff. si tutor vel curat. l. 18. C. de Excusat. JOH. HARPRECHT. ad §. 16. J. de Excusat. tutor. n. 4.* ibique longa serie allegati. Neque etiam hodie ullum dubium habere videtur, postquam jure Canonico ab omni gravamine provocare licere contendunt *per c. 1. & c. 3. de appellat. in 6to.*

§. VII.

Porro, cum decendium hoc per sanctiones publicas ordinatum atque appellantis præfixum sit, ideo neque singulari partium litigantium conventionem, neque

que etiam iudicis, qui ad legum observationem obstrictus est, permissione, sive autoritate longius extendi atque prorogari potest. GASTEL. in *Specul. Jur. c. 33. n. 55. in fin.* Neque enim Jus supremi Magistratus nomine atque autoritate statutum sancitumque, potestati subiacet privatorum ac singularium personarum, qui juxta leges incedere, non contra eas venire jubentur. *vid. L. 38. ff. de pact. l. 45. in fin. ff. de Reg. Jur.* JOH. HARBRECHT. *ad princip. F. de heredit. qui ab intest. def. n. 13.* De Iudice quidem est textus expressus in *cit. Concept. Ordinat. Camer. P. 2. tit. 32. §.* **So sollen ic.** Sed nec de illis dubitandum *propt. d. l. 38. ff. de pact. cum simil. addat. GAIL. 1. obs. 139. n. 6. & MYNS. Cent. 2. obs. 68. CARPZOV. in Process. tit. 18. art. 3. n. 36. seq.* Et propterea etiam in Camera Imperiali (ubi fatale hoc strictè observatur) nisi intra decendium appellatum sit, processus denegantur, utcumque illud a iudice inferiori prorogatum fuerit.

§. VIII.

Quæritur nihilo secius, quomodo istud decendium, sive fatale interponendæ computari debeat? Resp. in principio utile esse, in progressu autem continuum, h. e. non currere incipere, nisi à tempore notitiæ, postquam scilicet gravatus rescivit sententiam latam vel decretum factum. GAIL. *d. obs. 139. n. 7. §. 10.* MYNS. *Cent. 2. obs. 2.* PETR. FRIDER. MINDAN. *de Process. Lib. 1. c. 8. n. 2. §. seq.* RODING. *P. C. lib. 1. t. 27. n. 9. §. 10.* quamdiu itaque ignorat appellans, decretum vel sententiam contra se latam, ipsi non currit decendium. GASTEL. in *Spec. Jur. c. 33. n. 55. alique relati ab eodem.*

§. IX.

§. IX.

Illud omnino notandum est, scientiam non perfunctoriam, sed specificam requiri THOM. MICHAEL. *apud* KLOCK. *vet. Cameral. relat.* 14. n. 27. *restante* RODING. *P. C. lib. 1. tit. 27. §. 10.* Hinc non sufficit, partem rescivisse sententiam vel decretum latum esse, hoc vel illo die; sed præterea necessum est, ut cognoverit, quid sit revera pronunciatum vel decretum. Unde cautelæ loco notandum, bene facere eum, pro quo sententia vel decretum latum est, si adversario, tempore pronuntiationis absenti, vel procuratorem apud acta non habenti, statim per Notarium & Testes, vel alio aliquo modo, insinuari faciat exemplum authenticatum, seu, ut vulgo vocatur, copiam vidimatam sententiæ vel decreti, ad hoc ut vel executio, vel appellatio promoveatur, vel etiam hæc plane impediatur.

§. X.

Quod dictum est, fatale hoc interponendæ appellationis à die notitiæ currere, id regulariter quidem verum est, non autem semper & perpetuò; Nam distinguendum, utrum gravatus apud Acta, cum sc. sententia pronunciaretur, Procuratorem habuerit, nec ne? Priori casu à tempore factæ publicationis sententiæ currere decendum incipit, domino, sive (ut fori vocabulo utar) Principali licet ignorante; Posteriori non æque *L. 1. §. fin. ff. quando appell. cum similibus vid. GAIL. 1. obs. 139. n. 8. RODING. in P. C. lib. 1. tit. 27. §. 11.* Notandum ergo, appellantem à die notitiæ in supplicatione pro Processibus appellationis debere exprimere, Procuratorem apud Acta nullum extitisse. §. XI.

RODING. *d. loc.*

§. XI.

Est tamen alia quoque subdistinctio in casu, quando Procurator apud Acta fuit; Nam, vel is domino seu Principali intra decendii spacium notificavit, sententiam contra ipsum latam esse, vel idneglexit: Priori casu Fatale hoc appellationis interponendæ incipit currere ex die notitiæ, non vero à die latæ sententiæ, *text. in c. non injuste X. de Procur. GAIL. d. loc. secus autem est in casu posteriori.*

§. XII

Est præterea alia adhuc subdistinctio: Etenim Procurator, qui fuit apud Acta, vel plenam habuit agendi potestatem, vel non habuit. Priori casu negligentia procuratoris domino nocet, posteriori non æque *per text. in l. 10. C. de procurat. ubi GOTTOF. in not. explicat, quid sit, liberam agendi potestatem habere.* Simile præjudicium observatum est *in Camera in causa Bisterling c. D. Nordermann, Appellationis.* ubi processus ab initio denegati sunt ex eo fundamento, quod procurator apud Acta extitisset; Cum autem ex post facto, durantibus adhuc fatalibus, Dno Referenti remonstraretur, Procuratorem saltem ad unum actum fuisse constitutum, non generaliter & cum libera, tunc processus sunt decreti.

§. XIII.

Imo tunc quoque non admittitur appellatio post decendum & à die notitiæ facta, quando appellans ad audiendam sententiam citatus contumaciter abfuit, si credimus *CARPZOV. decis. 139. n. 1. Et seq. & ejus auctoritatis GASTEL. in Spec. Jur. c. 33. n. 55. vers. nec obstat.*

§. XIV.

§. XIV.

Neutrum si factum sit, hoc est, si neque à die la-
tæ, neque etiam à die cognitæ sententiæ appelletur,
tunc in rem judicatam transit, & appellatio deserta red-
ditur, GAIL. *d. obs. 139. n. 8.* adeo, ut procuratoris, qui
fuit apud Acta, neque tamen appellavit, negligentia
domino suo, licet absenti & ignoranti, noceat, ita, ut
ipse appellare amplius nequeat, cum jus parti adversæ
per lapsum decendii semel quæsitum sit. GAIL. *1. obs. 45.*
n. 1. sibi enim debet imputare dominus, quod negli-
gentem Procuratorem elegit. *l. 23. in fin. ff. de minor.*
cum simil.

§. XV.

Ergone vero dominus, qui nihil admisisse & ex-
tra culpam esse videtur, facto procuratoris sui oneran-
dus erit, contra *L. in cause 27. in fine princip. ff. de pro-*
curat. & L. 1. in pr. ff. de alienat. judic. mutand. caus. &
L. si quis in suo 33. §. 1. C. de inoff. testam. cum tamen
regulare sit, quod factum unius alteri nocere non de-
beat. BARBOS. *Axiom. jur. axiom. 93. n. 21.* idque ipsa
æquitas svadere videatur, ne quis ex negligentia & Fa-
cto alterius damnum aliquod patiatur. *L. 3. ff. de trans-*
act. leg. non debet 74. ff. de R. J. ubi DD. BARBOS. Ax. Fur.
c. 159. n. 1. ANTON. HERING. de fidejuss. c. 24. n. 127. adeo
ut etiam ignorantis domini conditio deterior per pro-
curatorem fieri non debeat *l. 49. ff. de procurat. l. 10. in*
fin. ff. de pactis, l. 17. ff. de jurejurand. Resp. dominum
(I) non esse extra culpam, qui negligentem amicum
sibi elegit, eique negotia sua commisit, §. 3. *J. quibus*
modis, re cont. oblig. l. 1. §. 5. ff. de oblig. & action. Addatur

B

l. 3.

l. 3. §. ult. & l. 23. pr. ff. de minor. cum simil. Deinde (2) eum etiam non onerari, sed adhuc jus suum consequi posse.

§. XVI.

Quomodo itaque domino hoc casu subvenietur? Resp. distinguendo; Aut procurator solvendo est, aut non est solvendo: Isto casu adversus negligentem procuratorem domino datur actio mandati ad damna & interesse *arg. l. 8. §. 6. ff. mandat. l. 13. & 16. C. eod. GAIL. 1. obs. 45. n. 3. & 4. VMM. ad Process. disp. 3. n. 40.* Sed casu posteriori, quando non est solvendo procurator, locus est restitutioni in integrum adversus lapsum fatalium, ex clausula ista generali, si qua justa causa &c. *GAIL. d. loc. n. 6. & seqq. & d. obs. 139. n. 8. in fin.* Idque in Camera imperiali frequentari experientia & praxis docet.

§. XVII.

Illud observandum, nudis hodie supplicantium narratis fidem non haberi, sicut olim, de quo videndus *GAIL. d. obs. 45. n. 8.* sed ab allegante probandum esse, procuratorem non esse solvendo; idque propter *REC. IMP. NOVISS. DE ANNO 1654. §. alle SVPPPLICANTEN 79.* Hinc in consilio saepenumero hoc modo decerni solet: *Noch zur Zeit abgeschlagen, sondern wofern supplicant, daß der Procurator nicht solvendo seye, besser und glaublicher bescheinen wird, daß darauf der begehrtten Restitution in integum halber, ergehen solle was recht ist.*

§. XVIII.

Quid autem dicendum vel tenendum, si dubium sit,

fit, & non appareat intra decendium à die notitiæ appellatum esse, an tunc ad nuda supplicantis narrata, sese intra decendium post acceptam sententiæ notitiam, appellasse asserentis, decernendi sunt processus? Resp. Cum in hoc consistat fundamentum intentionis, id aliquatenus probandum esse ab appellante, antequam ipsi processus decernantur per *d. R. J. de anno 1654. §. alle supplicanten.* Est enim regulare, quod, ubi qualitas certa est fundamentum intentionis alicujus, illa prius debeat probari *glos. in L. si vero §. qui pro rei ff. qui satisd. coguntur. BARBOS. Axiom. jur. ax. 128. n. 2.* Imo vulgaris quoque est regula illum teneri probare, qui aliquid dicit & intendit *l. 8. l. 23. C. de probation. maxime si actor sit, l. 21. ff. de prob. VMM. ad process. disp. 15. n. 7.* Qui autem dicit, se intra decendium ex die notitiæ appellasse, utique affirmat, intenditque se hac vel illa die comperuisse, quod sententia sibi adversa lata atque pronunciata sit, unde merito probandi onus ipsi adscripseris.

§. XIX.

Denique huc notandum, quod fatale interponendæ appellationis tunc saltem currat, quando gravamen est momentaneum, secus, si causam continuam & successivam habeat; Tunc enim tanquam à præsentis & semper durante atque continuo gravamine appellari potest quocunque tempore, juxta *GAIL. d. obs. 139. n. 13.* ubi per exempla procedit, & hujus asserti duas notabiles exceptiones addit. Conf. etiam *PETR. FRID. MIND. de process. Lib. 1. c. 8. n. 6.*

§. XX.

Cum itaque juxta prædicta manifestum sit decen-

dii tempus in progressu suo continuum esse, hinc recte statuitur, illud de momento ad momentum currere. MYNS. *Cent. 2. obs. 2. n. 1.* GASTEL. *in spec. Jur. c. 33. n. 51.* Itaque si sententia sit publicata, vel notificata, seu insinuata, v. g. Calendis Majis, horæ nonæ quadrante primò; tum decendium rursus expirabit die XI. ejusdem mensis Maji horæ similiter nonæ quadrante primo RODING. *P. C. lib. 1. tit. 27. §. 7.* BLVM. *Process. Cam. tit. 49. n. 6.*

§. XXI.

Idcirco non solum dies interpositæ appellationis, in Instrumento per Notarium exprimendus est, sed & hora momentumque ipsum; ut scil. appareat Judicium lapsum fuerit decendium nec ne? GAIL. *d. obs. 139. n. 5.* RODING. *d. loc. §. 8.* alias decerni solet: **Wosern supplicant horam latæ sententiæ anzeigen wird, soll darauf ergehen, was recht ist.** Ita factum in causa **Steineck contra Himberg** den 18. Junii 1630. teste BLVM. *in P. C. tit. 49. n. 8.* De stylo tamen non observatur, ut ipsum momentum præcise appellationis Instrumento inseratur, sed satis est, si exprimatur tempus indefinite, hoc fere modo: **zwischen der und der Stund, v. g. acht und neun Vormittags.** Et potest esse ratio, quod non sit magnum damnum in mora modicitemporis *l. 21. ff. de judic.* vel quod de minimis non soleat prætor multum sollicitus esse BARBOS. *Axiom. jur. ax. 150.* HARPRECHT *ad §. 10. F. de injur. n. 42. §. 94.* Quod si hora certa sit & appareat, justo tempore appellatum esse, dubium non habet, quin processus decernantur; sic cum adhuc duæ horæ restarent, appellatum & processus

cessus in Camera impetratus fuit in causa. Glauburgl.
Eusefeln & Consorten, contra Glauburgl. Wittib. 27.
Maji. anno 1651. RODING. d. t. 27. §. 8.

§. XXII.

Fatale hoc interponendæ appellationis de jure no-
vissimo per sæpe d. R. J. de anno 1654. §. indem auch
121. introducto, non solum in causis appellationum,
sed & querelæ nullitatis principaliter intentandæ ob-
servandum est, solis nullitatibus, insanabilem defectum,
vel ex persona Judicis vel partium litigantium, vel et-
iam ex processu substantialibus, habentibus exceptis,
in quibus regula juris communis etiam adhuc obtinet.
GASTEL. in spec. Jur. c. 33. n. 50. cf. nec obstat. RODING.
d. loc. n. 3.

§. XXIII.

An igitur quærela nullitatis, insanabilem talem
defectum non habentis, à qua intra decendium est
provocatum, adhuc hodie intra tringinta annos propo-
ni, & in Judicium introduci potest ut fatale appellationis
introducendæ, lapsu isto locum non habeat? Affir-
mative videtur concludendum, arg. d. J. R. de anno 1654.
§. indeme auch. Nam ibi saltem mentio fit de fatali
interponendæ, non etiam introducendæ ac profe-
quendæ; Igitur merito ad hujuscemodi fatalia lex illa
correctoria extendi non debet. Omnes enim corre-
ctiones odiosæ sunt, & stricte accipiendæ. JOH. HARPR.
ad §. 28. J. de action. n. 73. Et ad princip. J. de emt. Et
vend. n. 23. Eaque semper interpretatio capienda est,
ut juris comunis correctio, quoad ejus fieri possit, evi-
tetur.

tetur. HARTM. PISTOR. *lib. 2. p. 2. quest. 42. n. 39. in princ.* Neque etiam extensio fieri solet in exorbitantibus & correctoriis, de uno casu ad alium, ne quidem ex idenditate rationis. ANDR. GAIL. 2. *obs. 140. n. 11.* Utrum autem menti ac rationi dicti §. *indeme auct. 121.* conveniat, non immerito dubitamus.

§. XXIV.

Et tantum de Fatali appellationis fundandæ, quod vulgò Interponendæ dicimus. Fundatæ appellationis Fatalia distinguo in Fatalia appellationis in specie sic dicta, & Fatale requisitionis.

§. XXV.

Fatalia appellationis (scil. fundatæ) sunt certa temporum spacia intra quæ interpositæ appellationis processus expediendus est; Hæc alias Fatalia profequendæ nominantur. RODING. *P. C. lib. 1. Tit. 28. in princ.* Et distinguuntur in Fatalia Introductionis, seu introducendæ ac finiendæ appellationis, addat. RODING. *d. loc.*

§. XXVI.

Fatalia introductionis, seu appellationis introducendæ sunt certum temporis intervallum, intra quod processus appellatorii non modò apud Judicem appellationis impetrandi, sed, si impetrentur, etiam insinuandi & post factam insinuationem in judicio appellationis rursus introducendi, seu, (ut forensi vocabulo utar) reproducendi sunt. jung. RODING. *d. t. 28. §. 2.*

§. XXVII.

Quod temporis spacium si negligatur, neque præcisè observetur, eo lapsò appellatio perinde deserta redditur

dicur & sententia in rem judicatam transit, ac si intra decendium appellatum non fuisset. GAIL. *d. l. 1. obs. 140. n. 1.* & MYNS. *Cent. 6. obs. 12. n. 2.* GASTEL. *in spec. Jur. c. 33. n. 80.*

§. XXVIII.

Coeterum hæc fatalia vulgo subdividuntur in Fatalia 1) Legis & 2) hominis; Illa sunt, quæ lege & sanctione publica definita sunt: Hæc verò, quæ iudices, à quibus appellatur, appellantis præfigunt. GAIL. *d. obs. 140. n. 2.* MYNS. *Cent. 6. obs. 12. n. 5.* RODING. *lib. 1. t. 28. §. 4. & seqq.*

§. XXIX.

Utrorumque iidem sunt effectus. GAIL. & MYNS. *dd. loc.* Differunt tamen 1) ratione causæ efficientis, quia illa, nempe fatalia legis, a summo magistratu, & penes quem in republica est ^{res negotiorum}, proficiscuntur & oriuntur; Hæc verò iudicem à quo, seu gravantem autorem habent. Deinde 2) differunt etiam in eo, quod illa per iudicem a quo est appellatum, prorogari nequeant. GAIL. *d. loc.* Hæc verò possint, non tamen ultra terminum legis, ut rectè omninò sentit GAIL. *d. loc. n. 3.* cum jura publica, seu publica autoritate sancita, privatorum potestati non subjaceant per *L. 38. ff. de pact. l. nemo 55. ff. de leg. 1. l. 15. §. 1. ff. ad L. Falcid. L. 45. in fin. ff. de R. I. ubi DD. JOH. HARPRECHT ad princ. Inst. quibus non est permiss. fac. testam. n. 17.*

§. XXX.

Fatalia legis utrum prorogare queat iudex superior h. e. Appellationis, dubitari posset propter jam dicta; Sed *æ.* distinguendum esse inter iudices, qui una sunt
ma-

magistratus supremi, & eos, qui tales non sunt, sed alium superiorem habent & recognoscunt. Illi sine dubio prorogationem concedere possunt, etiam pro lubitu suo; cum legibus merè civilibus ac positivis (quo etiam hæc solennitates judiciariæ referuntur) omnimodo sint soluti per *L. 31. ff. de LL. ubi DD. communiter vid. JOH. HARPRECHT ad prin. Inst. de R. D. n. 120. & seqq. ibique relati*. Hi verò judices, qui alium judicem vel magistratum superiorem habent, simili jure non gaudent, nisi hoc ipsis nominatim sit indultum. Tenentur enim omnes judices inferiores (h. e. ii, qui superiorem habent) secundum legis præscripta judicare, non ab eis recedere, ad quod etiam juramento obstringuntur. vid. HARPRECHT *ad princ. F. de off. jud. n. 32. & seqq.* GASTEL. *Spec. Jur. c. 4. n. 20. & seqq.* notanter addidi verba: nisi hoc ipsis nominatim sit indultum; Sic cameræ Imperiali (quæ procul dubio infra Cæsarem & Imperium est) jus istud, sed tamen cum aliqua restrictione competit *ex R. F. Noviss. de Ao. 1654. §. Sodann soll sich, 67. in fine. Add. Concept. Ord. Cameral. P. 2. tit. 33. §. Und im Fall.* Unde hæc fatalia quotidie ibi prorogari videmus.

§. XXXI.

Num verò idem juris sit de judiciis aliis inferioribus, statuumque, non sine ratione ambigimus; Aliter tamen sentire videtur GAIL. *d. obs. 140. n. 7.* ubi generaliter scribit: judicem appellationis ex causis urgentibus prorogationem indulgere posse. Verum ego hoc casu pro restitutione adversus lapsum fatalem implorandum esse censeo; aut, si hæc non arrideant, certè dicendum est, idem jus, quod Cameræ Imperiali tributum,

tum, judiciis quoque inferioribus, sive statuum, competere, idque propter *d. R. J. noviss. de Ao. 1654. §. Es sollen auch*, 137. ubi judicia inferiora omnia juxta normam processus Cameralis, in quantum possibile est, incedere jubentur; unde etiam permissa eis videntur, quæ Camerae Imperiali ipsi sunt concessa.

§. XXXII.

Præterea, utrum hoc fatale introducendæ appellationis ex consensu seu compromisso partium prorogari queat, disquiri solet. *GAIL. d. obs. 140. n. 8. & RODING. d. t. 28. §. 36.* id asserunt, quibuscum sentit *GULMANN. Symphorem. tom. 1. P. 2. t. 17. vot. 3. n. 7. & MYNS. Cent. 2. obs. 68.* contra negant *SCACC. de appellationibus c. 2. quest. 14. n. 50. BACHOV. ad Treutler. Vol. 2. Disp. ult. 3. §. lit. D.* idque omninò rectè, per sæpe dictam rationem, quod ea, quæ lege publica cauta atque ordinata sunt, privatorum potestati non subjaceant *d. l. jus Publicum 38. ff. de pact. cum simil.* neque enim potest inferior tollere legem superioris. *BARBOS. axiom. jur. axiom. 124. n. 1. & 6.*

§. XXXIII.

Ulterius quæritur, num hæc fatalia introducendæ etiam currant in Aula seu Judicio Imperiali Aulico, am *Kaysert. Reichs-Hof-Rath?* vel, an ibidem, quousque Imperator volet, prorogari queant? *Instrumentum Pacis Cæsareo-Suevici art. 5. §. quoad processum 55. disponit, Ordinationem Imperialis Camerae in judicio quoque Aulico per omnia servari debere, in quo totus acquiesco, cum ultra de potestate Cæsaris disputare nec libeat, nec liceat. Imo Ordinatio Aulica tit. 2. expresse vult, daß der Kaysert. Reichs-*

C

Hof-

Hof-Rath in Erkenn- und Annehmung der Appellations-
Processen, sich den gemeinen Rechten, Reichs-Abschieden,
und wohlgeordneten Satzungen gemäß verhalten solle.

§. XXXIV.

Hæc incidenter! Sed cum in materia prorogatio-
nis simus, sciendum est, eam non nisi ex iustis & suffi-
cienter probatis Causis (veluti propter loci distantiam,
iter non satis tutum, nivium coacervationem, aqua-
rum inundationem, Advocati carentiam, nunciï mo-
ram, culpam vel casum bellorum indeque provenien-
tium laborum ac periculorum incommoditates, simi-
liaque impedimenta, quæ Processuum reproductio-
nem, & Appellationis prosecutionem remorantur. vid.
RVLAND. de Commiss. Part. 1. Lib. 2. c. 12. n. 5. & seqq.) in-
dulgeri, neque ultra duos aut tres menses extendi, prout
tamen iudici visum fuerit. R. I. Noviss. de Ao. 1654. §.
Sodann soll sich Appellant. 67.

§. XXXV.

Prorogatio horum fatalium petenda est intra cur-
sum eorum, nam iis effluxis, frustra prorogatio postu-
latur. Quodcunque enim peremptum est, neque am-
plius existit, id utique nec prorogari potest, cum non
entis nullæ sint qualitates, nulla accidentia l. 4. §. 1. ff.
de Act. emt. JOH. HARPRECHT ad §. 4. F. de Fidejuss. n. 61.
& ad §. 3. n. 9. F. de Exheredat. liber. vid. textus express. in
Concept. Ordin. Cameral. P. 3. t. 34. §. Da sich aber in
med.

§. XXXVI.

Illud non refert, petitio pro fatalium prorogatio-
ne separatim (quod interdum necesse est) fiat an inse-
ratur

ratur una supplicationi pro processibus Appellationis. Sufficit enim prorogationem intra terminum fatalis peti & obtineri GAIL. *d. loc.* idque etiam quotidianum in Camera est.

§. XXXVII.

Quid autem tunc, si iusto quidem tempore supplicatio pro fatalium prorogatione exhibita est, & antequam affirmativè decerneretur fatalia labantur. & generaliter, si fatalia labuntur, prorogari nequeunt *per supra §. 35. dicta.* Interim tamen appellans iustas causas habens easque sufficienter probans, *vid. GAIL. d. l. 1. obs. 143. n. 2.* beneficio restitutionis in integrum adjuvari solet & potest. *RODING. L. 3. r. 60. §. 25. vs. si adversus lapsum.* Quod sine dubio etiam in casu præsentis fieri poterit; cum mora iudicis partibus litigantibus nocumento esse non debeat. *ANDR. GAIL. d. l. 1. obs. 141. n. 10. & obs. 64. n. 6.* In Camera etiam Imperiali sæpe fit, ut post lapsum fatalium prorogatio in tempore petita decernatur, sed decretum ad diem exhibitæ supplicationis, de stylo consueto retrahitur, hoc fortasse ideo, ut circuitus evitetur, quod enim fieri potest per pauca, non debet fieri per plura, ut est commune proverbium.

§. XXXVIII.

Cæterum quandoque restitutio brevi manu decernitur, quandoque & sæpius citatio ad videndum se restitui, idque hodie in Camera frequentissimum. Sed quia illa via expeditior atque magis salutaris, ideo Domini Procuratores periculum semper faciunt, num restitutionem brevi manu obtinere queant.

§. XXXIX.

Ulterius sciendum est, secundum moderna Imperii Jura, Fatalia legis (de quibus hactenus locuti sumus) esse vel trium, vel sex Mensium spacium; Trium tunc, quando appellatur à delegatis per ordinationem iudicibus in spoliatorum simplicium causis. *Ord. Cam. P. 2. t. 8. §. Wo aber der Beklagte, cum seq.* RODING. *d. l. tit. 28. §. 6.* Sex vero tunc, quodocunque in aliis omnibus causis præter jam dictas, appellatio interposita est. *RODING. d. l. §. 7. Ord. Cam. p. 2. t. 30. §. Würde aber, cum seq.* Sed dubitari possit, num hoc fatale in iudiciis quoque inferioribus germaniæ nostræ observandum sit nec ne? Sufficiat autem nobis *R. I. noviss. de ao. 1654. §. Es sollen auch, 137.* clarè disponere, iudicia inferiora, in quantum possibile sit, juxta normam processus Cameralis incedere seque eidem conformare debere, nisi alius modus in continua observantia ibi fuerit servatus.

§. XL.

Illud etiam notandum, quod ante *R. I. noviss. de ao. 1654.* nullum dubium fuerit, quin tunc demum appellatio deserta redderetur, quando fatale introducendæ (sive semestri illud ad introductionem appellationis constitutum) absque prorogatione ad finem pervenisset & expirasset; Hodie autem secus se res habet, quia dictum semestri eatenus limitatum atque restrictum est, ut intra quatuor menses priores, ab interpositione numerandos, parti adversæ processus appellatorii præcise insinuari, duo vero reliqui menses reproductioni & computationi Appellanti asservari debeant. *d. R. I. de ao.*

ao. 1654. Sodann soll sich, 67. Quod si non fit, neque interim prorogatio desuper impetretur, appellatio desertionis periculum incurrit. d. §. 67. Nihilominus tamen Appellanti, justas & evidentes impeditenti causas alleganti, usque ad futuram vísitationem, superest beneficium restitutionis.

§. XLI.

Igitur hodie de jure novissimo fatalia introducendæ appellationis subdividi possunt haud incommode in Fatalia Insinuandæ, & Fatalia Reproducendæ Appellationis, sive in Fatalia Insinuationis & Reproductionis. Illis præfinitum est spacium quatuor mensium, quibus elapsis deserta redditur appellatio. Arg. d. R. I. de anno 1654. §. Sodann soll 67. si scil. nulla prorogatio desuper, antequam laberentur, impetrata sit; Nam si impetrata est, appellatio non ante deserta fit, quam si & ipsum fatale prorogatum exspiraverit. Num autem prorogatio prorogationis fatalium obtineri queat ex d. J. R. de ao. 1654. §. So dann 67. in fin. junct. §. Zum Achten 103. addiscendum est. vid. tamen RODING. p. 1. t. 28. §. 10.

§. XLII.

Circa fatale insinuationis adhuc notandum, quod R. J. de ao. 1654. requirat, ut insinuatio fiat ante lapsum sive decursum, vor Abtauff, priorum 4. mensum, sed quomodo hoc intelligendum sit, expediendum est: An, si ultimo die mensis quarti insinuatio processuum fiat, dicendum erit, insinuationem ante decursum 4. priorum mensium factam? R. legem hic silere, nec quomodo computatio temporis faciendâ sit, exprimere; Puto tamen, verba illa, vor Abtauff der 4. ersten Mo-

nath, æquipollere clausulæ vor Verfließung, & (quod idem plane est) innerhalb solcher 4. Monathen, intra quatuor menses priores. Jam, autem dictionis *intra* ea vis ac natura est, ut non solum termini media complectatur, sed & ejus extremitatem. STRAVCH. in *Lex. part. jurid. verb. Intra n. 1.* Pulchre hac de re A. GELL. *lib. 12. noct. Attic. c. 13.* Et VLP. IANVS in *l. 1. §. quod dicimus ff. de success. edict.* quod dicimus, ait, intra diem centesimum bonorum possessionem peti posse, ita intelligendum est, ut & ipso die centesimo peti possit. Idemque respondet in *L. 133. ff. de V. S.* Si quis dixerit, inquit, ut intra diem mortis ejus aliquid fiat, ipse quoque dies, quo quis mortuus est, numeratur. Proindeque etiam sufficiet, si insinuatio processuum appellatorum ultima die 4ti mensis expediatur.

§. XLIII.

De FATALI reproductionis quæri potest, utrum ante, an in ipso quoque termino, sive legali, sive per judicem præfixo aut prorogato, processuum reproductio fieri debeat? Dubitandi rationem suppeditat, quod in libera appellantis voluntate positum esse videatur, utrum ante terminum, an vero in ipso termini fine processus insinuatios reproducere velit, quia appellationibus interpositis spacium istud sex mensium præfinitum est, ideo sine dubio, ut intra illud reproductio processuum, seu introductio appellationis fieri debeat. Jam autem dictio *Intra* (ut modo dictum) termini media & extremitatem complectitur. STRAVCH. *d. loc.* Ut autem sit, in Camera Imperiali contrarium observatur; neque enim terminus appellato præstitutus anti-

ticipari potest, sed assignato in citatione ultimo die, ex quo insinuatio facta est, adveniente, reproductio fieri affolet; Quod si terminus anticipetur, h. e. processus appellatorii ante reproducantur, quam terminus comparitionis appellati venit, tunc illi, cum multa procuratoris cassantur. Currit enim (quod notandum) terminus a tempore factæ insinuationis. Unde plerumque fit, ut ante fatale, h. e. terminum, sive legalem, sive prorogatum introductio appellationis peragatur.

§. XLIV.

Quodsi in ipso comparitionis sive citationis termino, (qui qualis sit, videre est apud RODING. *P. Cam. l. 3. t. 29. pr.*) reproductio processuum appellatoriorum non fiat, sed postea, distingvendum est, num facta sit durantibus adhuc fatalibus, nec ne; Priori casu recte facta est reproductio, & appellatio in suo vigore manet, nec desertionis periculum incurrit. Sed posteriori casu pro deserta habetur: GAIL. *d. obs. 140. n. 3. in fin.*

§. XLV.

Præterea sciendum est, tempora fatalium introducendæ appellationis esse continua MYNS. *Cent. 6. obs. 12. n. 2. & 3.* & non à die latæ sententiæ, vel etiam notitiæ, sed à die interpositæ appellationis currere *R. J. noviss. de anno 1654. §. so dann soll sich 67.* GAIL. *1. Obs. 140. n. 2.* RODING. *P. C. 1. tit. 28. §. 9.* Unde, si calendis Junii appellatum esset intra horam nonam & decimam ante meridianam, regulariter insinuatio fieri deberet d. 30. sept. similiter intra horam nonam & decimam; Reproductio autem processuum facienda esset d. 29-

No-

Novembr. intra easdem horas. Intellige hoc, si terminus prosequendæ appellationis non sit ab inferiore iudice minor legali præfixus, vel etiam à superiore, seu appellationis, prorogatus; Tunc enim non attenditur tempus legalis, sed vel præfixus, vel prorogatus, & juxta hosce insinuatio & reproductio processuum facienda est.

§. XLVI.

Itemque Fatalia reproductiois ab initio quidem continua in fine autem utilia sunt; Hinc si, v. g. terminus 6. mensium legalium desinat aut expiret in feriis, ita, ut reproductio processuum appellationis, ob deficientiam facultatis agendi ante vel in fine termini fieri nequeat, eò casu appellatio pro deserta non habetur, sed hoc non obstante, finitis feriis & habita agendi facultate, emissa & insinuata citatio reproduci & in causa procedi potest, quamvis de eo aliquando graviter disputatum fuisse scribat GAIL. *l. obs. 149. n. 4.* sed priorem sententiam, tanquam benigniorem Dominos Assessores secutos esse testatur idem GAIL. *d. l. n. 5. in fin.* ex ratione, quod non valenti agere, temporis præscriptio non currat *l. 1. §. ne autem ubi DD. C. de anal. præscript.*

§. XLVII.

Coeterum, quod attinet fatalia insinuandæ, videtur adhuc dicendum, illud non utile, sed semper tam in fine, quam ab initio continuum esse, & propterea etiam de momento ad momentum currere, & nisi præcise observatum fuerit, appellationem desertam esse arg. *R. I. noviss. de anno 1654. §. so dann soll*
67.

67. ubi requiritur, daß die Insinuation der Appellations-Processen ohnfehlbar vor Ablauf der 4. ersten Monaten beschehen solle. Interim tamen negari haud potest, hoc quoque fatale prorogari posse, ut propterea è quatuor illis, sex vel septem menses fieri contingat. Quod si vero prorogatio nulla petita, vel petita quidem, non autem concessa est, & sic illi 4. menses labantur, appellatio nihilominus pro deserta habenda est.

§. XLVIII.

Et tantum etiam de introducendæ appellationis fatalibus, sequuntur nunc Fatalia terminationis, sed finiendæ & terminandæ appellationis. Suntque certum temporis intervallum, intra quod appellatio interposita ad finem perducenda est. RODING. *P. Cam. 1. t. 29. princip.* Et est tempus illud de jure communi annus, & ex legitimis causis biennium auth. & qui, *cum l. fin. §. illud. C. de tempor. appellat.* RODING. *d. loc.* GAIL. *1. obs. 141. in princip.*

§. LXIX.

Eo tempore decurso & lapso si appellationis causa non sit finita appellatio sit deserta, & sententia à qua transit in rem judicatam *d. auth. ei qui §. d. l. final. C. de temp. appellat.* ibique vulgo DD. GAIL. *d. loc.* unde si hoc fatale terminandæ coram inferioribus judiciis non sit observatum, Camera Imperialis talem appellationem, ut desertam, non recipit, sed ad judicem a quo pro facienda executione remittit GAIL. *d. loc n. 8.* ubi hoc diligenter observandum esse monet, propterea, quod Camera Imperialis judicet secundum jus

D

com.

commune, etiam quoad solennitates coram iudiciis inferioribus non servatas. Idem tradit RODING. in P. C. d. t. 29. §. 2. & MYNSING. Cent. 6. obs. 12.

§. L.

Hodie quoniam in iis locis, ubi jus commune servatur, raro intra annum aut biennium causæ appellationum, propter diversa incidentia, & multoties intervenientia impedimenta (maxime ex parte Judicantium) finiri atque expediri possunt, ideo solent procuratores coram iudicibus, non semel tantum, sed pluries de sua diligentia & fatalibus non lapsis, nec labendis, protestari. GAIL. d. loc. n. 10. ubi etiam ait, non sufficere unicam talem protestationem, sed eam aliquoties debere repeti. Idem GAIL. lib. 1. obs. 28. n. 5.

§. LL.

Tempus hujus fatalis, quando currere incipiat, non convenit inter DD. sed communis opinio est, quod currat à die interpositæ appellationis videatur GAIL. d. obs. 141. n. 1. BERLICH. P. 1. conclus. 50. n. 148. CARPZ. in Resp. Elect. lib. 3. t. 12. n. 118. n. 3.

§. LH.

De stylo quoque hoc fatale in Camere Imperiali non servari testantur GAIL. d. loc. n. 7. MYNS. Cent. 2. obs. 48. & Cent. 3. obs. 44. in fine. tum, quia causarum multitudo, tam citæ expeditioni impedimento est, tum etiam, quod summi principis consistoria ac judicia (quale Cameram esse volunt GAIL. lib. 1. obs. 42. n. 3. dum sc. contendunt, eam quoad jurisdictionem contentiosam Cæsarem repræsentare. Idem GAIL. 1. obs. 1. n. 2. IVNGAT. R. J. noviss. de anno 1654. §. Damit aber auch

JVN-

165.) ad ejusmodi observationem (cum solemnitates mere civiles ac positivæ sint) non obligentur. *addat. RODING. d. lib. 1. t. 29. in fin.*

§. LIII.

Et hæc quidem de fatalibus appellationis breviter? Denique fatale Requisitionis est certum temporis spacium ex die interpositionis numerandum, intra quod appellans tenetur acta ab inferiore iudice petere, vel, (ut in foro loquimur) requirere, eaque si fieri possit, iusto precio redimere, alias appellatio pro deserta habetur *R. F. de anno 1654. §. ob er auch schon 61. v. nichts desto weniger, videatur quoque RODING. lib. 1. tit. 25. per tot.*

§. LIV.

Estque circa hoc præprimis notandum, quod requisitio interdum semel tantum fieri possit, interdum vero repeti debeat; nimirum, quando semel facta requisitione, iudex à quo, acta, intra tempus ad illa edenda præfixum, non edat, tunc iteranda est, requisitio, & nisi id fiat, appellatus à citatione absolvitur, si documentum ulterioris requisitionis in primo termino produci nequeat *d. R. F. de ao. 1654. §. dabey gleichwohl 63. RODING. lib. 3. t. 29. v. imo si iudex 108.* Sed hæc pro temporis atque instituti ratione sufficiant. Tu, vero B. lector, æqui bonique consule, quæ pro ingenii tenuitate hic delibare saltem, non vero pro dignitate exantillare potuimus.

SOLI DEO GLORIA.

CO

COROLLARIA.

Appellatio est remedium Juris saluberrimum.

Appellatio est species defensionis, hinc regulariter nemini deneganda.

Appellatio & provocatio ad superiorem judicem, inferioribus judicibus valde est exosa.

Appellatio Doctõribus dicitur medicina adversus venenum judicis inferioris.

Advocatus prudens, frivole non appellat.

Rabule appellationis remedio sepe numero in foro abutuntur.

Appellatio regulariter præsupponit sententiam.

Appellatio locum habet, in gravaminibus extrajudicialibus.



Erfurt, Diss., 1725-26

X 235 5902





10
1926, 2
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

30.
21

FATALIBVS APPELLATIONVM,

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS.
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,

DOMINO
CHRISTOPHORO IGNATIO
DE GVDENVS, J.V.D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEMQUE
PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

ANNVENTE AMPLISSIMO FCTORVM COLLEGIO
IN ALMA ET PERANTIQVA VNIVERSITATE
ERFORDIENSI

SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI
PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IURE HONORES ATQVE PRI-
VILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM RITE
CAPESSENDI

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI, HORIS CONSVEVIS,
PVBLICÆ DISQVSSIONI SVBMITTIT

ELIAS CHRISTIANVS GEISLER,
SVEVOFVRTO-FRANCVS,
DIE III. MAJI ANNO M DCC XXVI.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

